

omnino nec finem, ex qua dominus omnia postea fecerit. Hanc primam umbram plane sine lumine pessimus pictor illis argumentationibus colorauit: Præstruens aut dominum de semetipso fecisse cuncta, aut de nihilo, aut de aliquo: ut cum ostenderit neque ex semetipso fecisse potuisse, neque ex nihilo: quod superest exinde confirmet, ex aliquo eum fecisse, atque ita aliquid illud materiam fuisse. Negat illum ex semetipso facere potuisse: quia partes ipsius fuissent, quæcumque ex semetipso fecisset dominus. Porro in partes non deuenire, ut indiuisibilem & indemutabilem, & eundem semper quam dominus. Cæterum si de semetipso fecisset aliquid, ipsius fuisset aliquid. Omne autem & quod fieret & quod faceret imperfectum habendum: quia ex parte fieret, & ex parte faceret: ut si totus totum fecisset, oportuisset illum simul & totum esse & non totum, quia oporteret & totum esse ut faceret semetipsum, & totum non esse ut fieret de semetipso. Porro difficillimum. Si enim esset, non fieret, esset enim: si uero non esset, non faceret: quia nihil esset. Eum autem qui semper sit non fieri, sed esse illum in æuum æuorum. Igitur non de semetipso fecisse illum qui non eius fieret conditionis, ut de semetipso facere potuisset: proinde ex nihilo non potuisse eum facere sic contendit, bonum & optimum definiens dominum, qui bona atque optima tam uelit facere quam sit: imò nihil non bonum atque optimum & uelle eum & facere. Igitur omnia ab eo bona & optima oportuisse fieri secundum conditionem ipsius. Inueniri autem & mala ab eo facta, utique non ex arbitrio, nec ex uoluntate: quia si ex arbitrio & uoluntate, nihil incongruum & indignum sibi faceret. Quod ergo non arbitrio suo fecerit, intelligi oportere ex uitio alicuius rei factum, ex materia esse sine dubio. Adhuc & aliud: Deum semper deum etiam dominum fuisse, nunquam non deum. Nullo porro modo potuisse illum semper dominum haberi, sicut & semper deus: si non fuisset aliquid retro semper, cuius semper dominus haberetur: fuisse itaque materiam semper deo domino. Hanc coniecturam eius iam hinc destruere properabo, quam hactenus propter non intelligentes adiecisse duxi, ut sciat, cætera quæque argumenta tam intelligi, quam reuinci. Dei nomen dicimus semper fuisse apud semetipsum & in semetipso, dominum uero non semper: diuersa enim utriusque conditio: sed deus substantiæ ipsius nomen, illud diuinitatis, dominus uero non substantiæ, sed potestatis: substantiam semper fuisse cum suo nomine, quod est deus: postea dominus accedens scilicet rei merito. Nam ex quo esse cœperunt in qua potestas domini ageret, ex illo per accessionem potestatis & factus & dictus est dominus: quia & pater deus est, & iudex deus est: non tamen ideo pater & iudex semper, quia deus semper. Nam nec pater potuit esse ante filium, nec iudex ante delictum. Fuit autem tempus cum ei delictum & filius non fuit, quod iudicem & qui patrem dominum faceret. Sic & dominus non antea quorum dominus existeret, sed dominus tantum futurus quandoque, sicut pater per filium, sicut iudex per delictum, ita & dominus per ea, quæ